

**05**

**A**

**2271**



C

D  
Sa



UTILITAS  
GENEALOGIÆ  
CHRISTI,

*Quæ*

Θεῶν συμπράττονται

sub Præsidio

CL<sup>mi</sup> VIRI

DN. CHRISTIANI GUEINZI, J.U.C.  
Salani Gymnasii Directoris famigera-

tissimi, Præceptoris sui æterno honoris magmento  
prosequendi,

*in discessu examinanda ostenditur*

à

JOHANNE PRETNÜTZI'O Nebrâ Thyrigeta

*in*

*Auditorio superiori*

ad diem 6. Novembris

*Epoche CHRISTI MDCCIII.*

---

HALIS SAXONUM

Typis Hæredum OELSCHLËGELI.

*SS*

*In 212*

UTILLITAS  
GENERALIS  
CHRISTIANIS




7227 A 50

ad diem 6. Novembrii  
Typis Hartdum Oescherer





## ANTELOGIUM.



Nsignis & egregia, juxta *Euripiden*, est nota, ab inclyto genere ortum suum trahere: nunquam enim dubitatum, heroicæ naturæ & virtutis semina in liberis unâ cum sanguine propagari, secundum *Lyricum*:

*Fortes creantur fortibus ac bonis:*

*Est in juvencis; est in equis patrum,*

*Virtus; Nec imbellem feroces*

*Progenerant aquila columbam.*

Nobilissimum hinc esse etiam *Christum* quis negabit? Si enim in ejus inquiris genus; id secundum carnem, ducit à Patriarchis, Regibus & Principibus, ita ut & ejus nativitas inter homines summa & honestissima reputetur, cum inter natos mulierum nullus unquam in his terris fuerit nobilior. Proinde quò de ejus progenie certiores simus, nec eum esse promissum Messiam ex stemmate Davidis oriundum dubitemus, fas erit, ut in *Genealogiam* Christi sollicitius inquiremus. Hinc paucis, ut scientiam acquiramus, eandem considerabimus.

### APHOR. I.

*Christi Genealogiam considerare haut inutile.*

**Q**uia est utilis labor 1. propter Veteris Testamenti exemplum, in quo certitudo historiæ ex Genealogiis maximam partem desumitur, ad discernendum tribus Israel, donec libros Genealogiarum *Domitianus imperator* jussit comburi. 2. propter certitudinis

A 2

proban

probandum fundamentum; siquidem Paulus exinde colligit se ex  
tribu Benjaminis esse. Et 3. propter Christi ipsius Salvatoris, ipsum ex  
stirpe Davidis esse, certissimū documentum: unde & ipse Matthæus  
& Lucas Genealogiam Christi recensent. Paulus quidem *1. Tim. 1.*  
*4.* videtur improbare, dum jubet ne Genealogiis attendamus, quod  
etiam repetit *Tit. 3, 9.* Verūm superstitiosum abusum reprehendit,  
non verò usum fructuosum; quia Judæi non solūm nobiliores co-  
ram mundo, sed etiam justiores coram Deo ob id haberi voluerunt.  
Fingebant igitur, sed falsò, teste *Augustino* Deum homini duas creasse  
uxores, ex quibus genealogias infinitas texentes sese filios Abraha-  
mi gloriabantur, ac longis retrò seculis suum genus deducebant; &  
propter antiquitatem dignitatemque familiæ suæ reliquos despicie-  
bant, dum in hanc carnalem generationem fiduciam suam colloca-  
bant. Hinc D. Paulus locis citatis discipulos suos monere voluit, ne  
futilibus & anilibus istis Judæorum fabulis & inextricabilibus ge-  
nealogiis ipsorum fidem habeant, sed inanem ipsorum fiduciam &  
superstitionem detestentur. Deinde fall. conseq. est, nam quamvis  
respectu Veteris Testamenti & Christi sint utiles, habitā verò ratio-  
ne Novi, postquam Christus venit in mundum, & sacerdotium Le-  
viticum cum politia Judaica sustulit, factæ sunt Genealogiæ inutiles  
& falsæ, quales prohibet Paulus, sive sint Ethnicorum, uti est *Theo-*  
*gonia* Hesiodi, de quibus *Chrysostr. Theophyl. & Oecumenius* consalen-  
di: sive Judæorum *deuterosis*, quod duplex sit Genealogia Adami  
per duas istas mulieres, prout modo ex *Augustino* allegavimus, quem  
vide hac de re *l. 2. de adversariis legis cap. 1.* & *Ignatium in Epist. ad*  
*Magnesianos*: Sive denique sint Hæreticorum, ut *Valentini*, de qui-  
bus *Tercullian. contra Valent. de præscriptionibus cap. 33.* Ideoque di-  
stinguendum est inter tempus Veteris & Novi Testamenti; nam an-  
te Christum exhibitum descriptio Genealogiarum habebat maxi-  
mam utilitatem non tantūm in politia ad hæreditates discernendas,  
sed etiam in Ecclesia tum ceremoniam, ut sacerdotium Levitis  
traderetur; tum doctrinalem, ut promissio de Christo illustrior esset.  
Post exhibitum verò Christum jam discrimen est sublatum *Gal. 3, 28.*  
Et denique distinguendum inter legitimum usum Genealogiarum  
ad ædificationem directum, & inter vanum abusum, quem *Hierony-*

taxat ob Judæorum jactantiam, qui ob promptitudinem suam in enumerandis variis Genealogiis sese efferebant.

## 2. Genealogia Christi est certa.

Quia Judæi, qui ex professo hostes Evangelii fuerunt, & peculiariter de Genealogiis contenderunt, non improbarunt: si quid enim in Genealogiis Christi vidissent, sicut ab Evangelistis conscriptæ sunt, absque dubio acerbissimè contradixissent; nihil verò moverunt, ideoque probarunt. Malè ergò à quibusdam nostri seculi hominibus vanis & profanis vocantur in dubium. Discrepare verò *Matthæum* & *Lucam* malè allegatur, cum non revera, sed tantum apparenter discrepent; siquidem *Matthæus* Genealogiam ex Abrahamo & Davide descendendo usque ad Josephum describit: *Lucas* verò à Josepho usque ad Adamum per certam generationum seriem & lineam deducit. Discrepant igitur 1. *ratione termini* & modi, cum *Matthæus* descendendo à parentibus ad filios, ab Abrahamo per tres tessaradecades: *Lucas* verò à Josepho ascendendo à filiis ad parentes eam tractet. Vid. *Chemnic part. 1. Harmon. Evangelist. c. 3.* Et quamvis *Ebr. 7, 3.* habeatur, quòd, uti Melchisedecus fuerit sine patre & matre, ita etiam Christus; tamen non simpliciter hoc intelligendum, sed quia Scriptura silet de Melchisedeco, ideoque ejus Genealogia etiam tempore Apostoli fuit incognita. De Christo verò dicitur rectè, quòd sine patre quoad humanam naturam, & sine matre quoad divinam naturam. Ἀγενεαλόγητος verò secundum utramque naturam dici possit; tum *ratione modi*, Christo enim genus ita tribui nequit, cum quoad divinam naturam non detur genus, quoad humanam, patre proximo, per quem genus propagatur ordinariè, careat. 2. *ratione sacerdotii*, quod illud non ex Genealogia per tribum Levi habeat, ut ipse ad *Ebr. 7, 25.* autor explicat illud *Isa. 53, 8.* Generationem ejus quis enarrabit? Est ergò intelligendum quoad divinam generationem, uti *Hieronym. in Matth.* interpretatur, sed tamen etiam quoad humanam naturam *ratione modi*, qui est imper-scrutabilis.

3. Est autem Genealogia duplex: Alia κατήσκα declivis sive descendens, alia ἀνιήσκα ascendens.

A 3

Quia

Quia quædam quæ est à stirpe, ad ramos pergit, uti apud  
*Mosen & in libro Chronicorum* sæpè occurrit, quemadmodum etiam  
Matthæus observavit, cum scopus ejus sit demonstrare Abrahamū &  
Davidem fuisse patrem Christi, sicque ipsum verum esse Messiam. Et  
licet Evangelistæ Christum de domo Davidis expressè non scribant,  
tamen quia tempore Evangelistarum cunctis erat cognitum Jose-  
phum & Mariam esse ex tribu Juda & cognatione David, ( unde  
etiam profecti sunt Bethlehemum ad civitatem David ) non opus  
erat multis hoc probare. Et inde habetur *Ebr. 7, 14.* ex tribu Judæ  
Dominus noster ortus est; Et *Rom. 1, 3.* factus est Jesus ex semine  
David secundum carnem. Cujuscunque ergò majores sunt ex certa  
domo, ille ipse quoque est ex eadem; atqui Maria est filia Heli, Heli  
filius Matthan, Matthan verò ex semine & domo David, & tribu Ju-  
da, E. Iesus quoque ex semine Davidis. Sic putabatur, uti habetur  
*Luc. 3, 23.* filius Joseph, Joseph verò filius Jacobi, & Jacob filius Mat-  
than; Ergò relinquitur iterum ipsum esse ex semine & domo Davi-  
dis. Et quamvis quidam concedant Mariam esse ex tribu Juda, ta-  
men negant esse ex familia regia. Verùm & Lucas contradicit, & in-  
simul etiam Apostolus Paulus affirmat quòd sit ex semine Davidis se-  
cundum carnem, quia alia linea est ascendens à rivulis ad fontem, cujus  
exemplum *Num. 27.* habemus: Et in Christi Genealogia apud Lu-  
cam, qui demonstrare voluit ipsum esse filium etiam Adami, post-  
quam divinam ostenderat, ne humanam negare videretur. Ideoque  
Matthæus deducit Genealogiam Christi ex regali semine Davidis  
& tribu Juda descendendo à patribus ad filios; Lucas verò ascen-  
dendo à filiis ad parentes. Non est ergò inter Matthæum & Lucam  
contradictio, cum eadem via sit Lipsiâ Romam, & Româ Lipsiam.  
Et quamvis Matthæus 42. Lucas 75. generationes numeret, non  
tamè sibi adversantur, quia Matthæus tres insignes mutationes, quæ in  
isto populo tunc temporis evenerunt tribus classibus, quibus 14. capi-  
ta tribuit, comprehendit, ab Abrahamo usque ad Davidem, à Davide usque  
ad captivitatem Babylonicam, & ab hac usque ad Christum; & Mat-  
thæus nullum ante Abrahamum Patriarcham commemorat, quia  
ejus Genealogia nota, vel quia apud præteritorum seculorum patres  
promissio seminis haut dum fuit ad certam familiam alligata; pro-  
missus

missus enim tantum generaliter ante Abrahamum ; postea autem Abrahamo peculiariter, ideoque etiam Matthæus ab eo Genealogiam Christi orditur. Lucas verò, qui solet ea, quæ ab aliis Evangelistis sunt omissa, copiosè describere, ab Abrahamo usque ad Adamum deducit. Ideoque quædam ille omisit, hic quædam addit nomina. Nec obstat quòd Matthæus Genealogiam Christi per Iosephum describere dicatur, siquidem tunc temporis, habebatur, uti modò dictum, Iosephi filius ; neque additur, quòd fuerit pater, sed expressè scribitur, quòd Iacob genuerit Ioseph, qui maritus Mariæ, ex qua Iesus genitus. Lucas verò fecit mentionem non Mariæ, sed Iosephi, qui fuit gener Heli, ideò quia habebat filiam Heli, ut ita socer pro vero parente sit positus. Causa verò quòd Lucas Iosephum Heli filium vocaverit, ea fuit, quia apud Iudæos non in usu erat, ut in Genealogiis fœminæ recenserentur. Nam Iacob verus fuit pater Iosephi, uti habet Matthæus, quemadmodum verbo emphatico *genuit* luculenter exprimitur. Socer verò ejus fuit Heli propter uxorem, unde etiam non dicitur quòd genuit Heli Iosephum, sed simpliciter, fuit Heli, *Luc. 3, 23*. Sicut in conclusione Genealogiæ de Adamo non dicitur, quòd fuerit Dei filius, sed simpliciter, fuit Dei, ut differentia ostenderetur. Non ergò Evangelistæ sibi mutuò adversantur, quando ab uno filius Iacob dicitur, ab altero filius Heli, quia filius Iacobi naturalis, Heli verò filius conjugalis fuit.

4. *Evangelistæ Christi Genealogiam per stirpem Salomonis regiam & Nathanis ducalem describunt.*

Quia super solium Davidis Messiam sessurum promissio facta, ut dux sit salutis nostræ, *Exech. 34, 24*. Et quia rex esse debebat juxta illud *Jerem. 23, 5*. *Zach. 9, 9*. Neque contrariatur quòd Lucas asserat ipsum esse ex posteritate Nathanis ; siquidem Matthæus voluit attingere Salomonem, ut typum in antitypo, hoc est, eum ostendere, qui præfigurabatur ; sic etiam post Sorobabel Matthæus lineam Iosephi per Abbiud recenset, Lucas verò profapiam Mariæ per Resia. In Zorobabele conveniunt, sed post variant, cum per matrimonia familiæ etiam diversissimæ in unam coalescant, & mox sese rursus diversis liberis

liberis dilatent, & in diversas familias explicent. Et quamvis *1. Paralip. 3, 19.* nullus inveniatur Zorobabelis filius, qui sit Abbiud dictus, tamen constat ex sacris, quod sæpè reges & alii sint binomii, ita Abbiud etiam Ananias dictus. Hoc verò notandum, quòd *Jerem. 22, 30.* de Iechonia videatur dictum ipsum esse sterilem; & tamen Iechonia in serie Genealogiæ habetur. Verùm non simpliciter negatur in allegato loco quòd sit sterilis, sed quòd non prosperè semen ejus sit sessurum super solium, *loco allegato*: nam habuisse filium, habetur expressè, *1. Par. 3, 17.* Sic Matthæus asserit Ioram genuisse Uiriam, cum tamen abavus fuerit; nempè quia propositum Matthæi erat successionem texere per tessaradecades tres, suo singulari consilio sibi fecit, ut in enumeratione generationū nomina quædam omitteret; Ita etiam ex Apostolica potestate hic tres omisit intermedias personas ne tessaradecadem solveret: Ita nos dicimur filii Adami, non exclusis intermediis. Simulque observandum apud *Matth. 1, 11.* omisum esse in quibusdam codicibus Iojakim, cujus successor Iechonia seu Ioachin fuit, *2. Reg. 24, 6.* siquidem alias non essent quatuordecim, uti tamen esse debent secundum verbum *Matth. 1, 17.* Et quamvis hoc in loco Theologorum diversæ sententiæ reperiantur, dum quidam Matthæum data opera Iojakim omisisse affirmant, & ita, quia primam tessaradecadem in Davide determinat, & secundam iterum in eo incipit, bis Davidem numerandum esse volunt: Tamen eorū sententia probatior videtur, qui typhetis & graphiariis errorem imputant. Constat enim ex modo allegato loco, Iechoniam alio nomine etiam Ioachin dictum fuisse. Unde verisimile est eos in hac opinione fuisse, ac si Iojakim & Ioachin non diversæ personæ essent. Hincque ex incitia Iojakim omisisse, proque Ioachin Iechoniam (quod nomen magis notum) posuisse. Itaque Iojakim inter Iosiam & Iechoniam inserendum esse statuimus. Sic *Luc. 3, 36.* ponitur quod Caninam fuerit filius Arphachsad, cujus tamen Moses non facit mentionē, quia verò Evangelistæ secuti sunt 70. Interpretū versionem, in qua quædam voces immutatæ, ut pro Mahalabel legatur Maheleel, pro Chanoch Enoch, vox Cainam addita, quod scopo principali non contrariatur, dum non voluit versionem corrigere, sed eandem retinere, & originem Christi ex Adamo juxta Biblia Græca tum temporis usitatissima deducere.

In

5. *In Genealogia Christi omnis generis & sexus  
sunt homines.*

Quia 1. non tantum sunt Patres & Patriarchæ, verum etiam mulieres. 2. quia & honestæ & meretrices. 3. quia etiam indigenæ & alienigenæ. Omnium autem voluit mentionem fieri Deus, ut Thamar quæ incestum commisit cum Juda; Raab Cananæ & Cauponariæ in Jericho, vitæque minus laudatæ, ut secundum quosdam habetur, *Ebr. 11, 31*. Ruth alienigenæ Moabitidos & Ethnicæ. Ut ostenderetur 1. Christum propter peccatores venisse in mundum; ideoque de peccatoribus natum esse, ut omnium peccata expiaret. 2. non Judæis tantum, sed etiam gentibus Jesum Christum natum esse, & 3. meram esse Dei gratiam, non meritum, quod Messias secundum carnem ab hominibus nasci voluerit; Nec omnis viri in Genealogia Christi sunt laudabiles: nam Juda genuit Phares & Saram per incestum de Thamar. Sic Salomon & David fuerunt gravissimi peccatores; Rehabeam impius & stolidus mœchator; Manasses crudelis, & tamen in Genealogia Christi inveniuntur. Hic ergo impletum quod Paulus scribit: Ubi majus est peccatum, ibi magis exuberavit gratia.

6. *Discrepant Genealogie Matthæi & Lucæ in quatuor potissimum capitibus.*

Quia 1. Matthæus descendit, Lucas verò ascendit. 2. Matthæus pauciores habet personas dum incipit ab Abrahamo, Lucas verò ascendit usque ad Adamum. 3. Matthæus recenset posteros Davidis ex Salomone usque ad Salathielem, qui fuit naturalis filius Neri, sed legalis filius Iechoniæ, siquidem Iechonias sine filiis felicibus mortuus, *Jerem. 22, 30*. 4. Post Sorobabelem Matthæus recenset majores Iosephi, Lucas verò majores Mariæ. *Vid. Brent. super Matth.*

7. *Mariam oportuit esse desponsatam marito.*

Quia 1. debuit probari etiam secundum illud, quod sit ex semine Davidis, (ut loquitur Paulus) Et quia 2. debuit declinari, uti habet *Musculus super cap. 1. Matth.* suspicio & opprobrium illegitimæ nativitatis; si enim, quia maritum habens peperit, Judæi de Christo  
B dixe-

dixerunt, nonne hic est filius Ioseph? Quamto magis si maritum non habens peperisset, dicturi fuerant, nonne hic est filius meretricis? Ut enim maritalis conceptio intelligitur, si maritata gravida appareat, ita si innupta gesserit uterum & pariat, illegitima & suspecta redditur conceptio. Maluit ergo Deus ut hæc virgo maritalis conceptionis potius quam meretriciæ suspicionem incurreret. Inde tamen non colligendum est, ac si propterea solum desponsata fuerit Iosepho, quia fuerat ex eadem familia secundum legem, Num. 36, 7. siquidem tunc tantum obligabat illa lex, quando per nuptias fiebat aliqua possessionum seu hæreditatum translatio, uti etiam verba monstrant, dum additur; Ne commisceatur possessio, & ut hæreditas permaneat in familiis: Aliàs licitum erat ex alia familia ducere conjugem. Sic Aaron qui erat de tribu Levi, duxit uxorem Elisabam de tribu Iuda, Exod. 6, 23. Et David de tribu Iuda habebat filiam Saulis de tribu Benjamin. Et sacerdos Iojada de tribu Levi filiam duxit regis Ioram de tribu Iuda. Inde factum, habet Augustinus questionibus super librum Iudicum, c. 4, 2. ut Mariam & Elisabetham cognatas in Evangelio legamus, cum fuerit Elisabeth de filiabus Aaron. Ex quo intelligitur, ex tribu Levi & filiabus Aaron aliquam nupsisse in tribum Iuda, ut ita fieret inter ambas illa cognatio, quo Domini caro non solum de regia, verum etiam de sacerdotali stirpe propagaretur.

---

**U**tile si quicquam fuerit, si nobile quicquam.  
 Est ab avis, atavis posse referre decus.  
 Posse docere genus, titulos ab origine mundi  
 Inde probare suos, utilitate tumet.  
 Ast ultra, vel ab æterno semperq; fuisse  
 Hic Deitatis apex, utilitatis opus.  
 Nempè fuit, fuit ut nihil; est in secula, nondum  
 Ast haut talis erat, qualis & usque manet.  
 Est is homo-Deus, est is Iesus Christus uterq;  
 Qui sine matre satus, qui sine patre datus.

*Istud*

Istud & uberius docet hic PRETNÜZIUS, istis  
In thesibus, voluit quas repetisse typis.  
Ac utriusq; pbysin PRETNÜZIUS addere pergat!  
Utilis æternum posteritatis erit.

ita restatur

CHRISTIANUS GUEINZIUS.

RESP. AMOREM!

P Anditur in tabulis Christi generatio sacris,  
Quòd sit verus homo, verus & ipse DEUS,  
Naturâ geminus, personâ semper at unus,  
Matthæus tabulis ceu docet ille suis.  
Junctis asseribus cujus fuit inclutus olim  
Nobilis antiqui fœderis arca typus.  
Has modò, PRETNÜTZ I, tabulas dum rite revolvens  
NATALES CHRISTI prodis amasq; Tui;  
Gratulor! Eusebieni si perges jungere Musis,  
Usibus in sacris utilis asser eris.  
Scandere quin poteris tabulata palatia cæli,  
Asseribus primis atq; tenere locum.

Mente manuq; benivolâ

deproperab:

M. Frid. Cablenus P. C.  
Conrektor.

RESPONDENTI

JOHANNI PRETNÜZIO gente Sorabo

Hallis Saxonum

in

Academias abituro scribebat

GUEIN-

GUENZIUS ingenii testem te mittit in orbem,  
Ut proba Doctoris sensa loquare solo.

Grande genus CHRISTI nostri sub Praeside tanto  
Expetit audiri, gaudet & ore tuo.

Excipiat florem felix auctumnus, & annos  
Possideat virtus, & pietatis opus.

Fridericus Guernerus Cölerus

P. L. Caf.

Ἐἰδῶ

εὐροφὴ κώλ. η.

Ὀλβιῶν μὲν ὁ ΠΛΑΤΩΝ,  
Ὀλβιῶν δ' ὁ ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΗΣ  
καὶ γὰρ ἀμφοτέρωθεν θεόφρονες  
αἰπὴν αὖν περαιτέρω τείλαντες ὁδὸν  
σοφίαν κερυφαίν' ἀπὸ πᾶσιν, ἀ-  
γλαῶν ἢ  
κλέεσσι ἑλλάδ', ἢ γαῖαν κατὰ πᾶσαν  
ἔδρεψάν τοι ἄωτον, ἔδ' ἐπισοφισμά-  
των (εἰσιν  
κρεσσόνων περίλιπον ἀνδρῶν μητί-

ἀντιεὐροφὴ κώλ. η.

ὑπέρων ἀτρεκέως  
δ' ἔξοχ' ἀμφοτέρων μάκαρ, ἢ  
πάμμακαρ, θεὸν ὅς κ' ἀλαθινὸν  
παῖδι (φῶ ἀμᾶ θεανθρῶπῳ σάφει  
γνῆς. (τῆ ἢ)  
καθαράϊς περαπίδεσιν ἀόκνως ἀν  
σέβεσσι, θεόδματον κατὰ τεθμὸν,  
φιλεῖ τιμᾶν' ὁ δ' ἀρ βίον μετὰ καλὸν  
πέδῳ  
ἔμην ὑλυσίῳ, ἀτὰρ κέλποις ὀλύμπου

Ἐπωδὸς κώλ. ι.

ὑπερτάτοις ἀναληφθεῖς, ἀλίον τε,  
φαιναί τ' ὑπὲρ ἄστρα αἰθέρῳ ἔσαι  
μέλλει ἀγλαίζεσθαι. ἴδι ἢ  
ΒΡΕΤΝΕΙΖΙΕ, ὦ εὐάνθεμον μοισῶν  
θάλλῳ ἀγίων, δαιμόνιον ἐν ταῦτα ἔχειν  
πόδα κελδύθῳ· αἱ μὲν θεῖσαι ἀρ  
μάρτυρες πρὸς χριστολόγοι. ἐνὶ ἢ τοῖς  
μένοντα, τὰ ἢ πόρσω χρήσιμα προστιθέντα  
ένθα μὲν κῦδ' βαθῦ, ένθα δ' ὀλβ' ἢ  
ἐπεράνι ἢ ἔψεται ὀπιθεν.

Ἀνδρείας Ἀλεξάνδρου.


F I N I S

05 A 2271

ULB Halle

3

003 783 766




Von

20.







B.I.G.

Farbkarte #13

UTILITAS  
GENEALOGIÆ  
CHRISTI,

*Quæ*

Θεῶν συμπράττοντ

sub Præsidio

CL<sup>mi</sup> VIRI

DN. CHRISTIANI GUEINZI, J.U.C.  
Salani Gymnasii Directoris famigera-

tissimi, Præceptoris sui æterno honoris magmento  
prosequendi,

*in discessu examinanda ostenditur*

à

JOHANNE PRETNÜTZI, O Nebrâ Thyrigeta

*in*

*Auditorio superiori*

ad diem 6. Novembris

Epocha CHRISTI MDCCIII.

HALIS SAXONUM

Typis Hæredum OELSCHLEGELI.

*SS*

*SS*